

59. O Scholares discite

Piae Cantiones 1582

Anonymus



O Scho - la - res di - sci - te, au - ri - bus per - ci - pi -
 6
 te, o - cu - lis vi - de - te, quam be - a - tam du - ci - tis
 12
 vi - tam, quam di - li - gi - tis stu - di - um qui - e - tis.
 17
 Ma - ne Scho - las pe - ti - te, ve - spe - ri re - ce - di - te do - mum
 22
 re - pe - ten - tes: quis sta - tus fe - li - ci - or? quae vi -
 26
 ta se - qu - ri - or in - ter nunc vi - ven - tes.

2. Reges, duces, comites, principes et milites
 Nunquam sunt securi.
 Vivunt enim misere, arma debent gerere
 Semper pugnaturi.
 Apellantur Domini: omini non homini
 Talis laus debetur.
 Bona transitoria sunt eorum gloria,
 Sicuti videtur.

3. Mercatores avidi, nocte die timidi
 Flumina marina,
 Propter lucrum transeunt, et quandoque pereunt
 Morte repentina,
 Quorum mercimonia sorte pendent dubia,
 Pariter et vita.
 Visu miserabili pereunt de facili
 Diu acquisita.

4. Rustici sunt asini quibus terrae Domini
 Dominantur mire.
 Quicquid habent, rapiunt, si non habent, adigunt
 Pauperes abire.
 De Thesauro paupere magnis solent addere
 Magnam portionem.
 Sed eo flebilius quod his Deus citius
 Mittat ultionem.

5. Regula Scholarium est excellens omnium
 Vitae sanctitate.
 Licet nulla similis, tamen est difficilis
 In asperitate:
 Soli Deo serviunt, sitiunt, esuriunt,
 Quorum paupertatem
 Enarrare nequeo, consequuntur ideo
 Christi pietatem.

6. Ex istis colligite vitam, quam diligite
 Semper clericalem.
 Singula pertranseo ita quod nunc nescio
 Similem vel talem:
 Vos estis in medio libero arbitrio
 Rite considerantes,
 Postquam senueritis Sacerdotes eritis
 Deo servientes.

7. Qui in terris proprium linquunt patrimonium,
 Habent spiritale:
 Quapropter sollicite, date preces debite
 Propter donum tale:
 Ipse vos ad gaudia transferat coelestia
 Precibus placatus,
 Ubi sine termino hymnum canit Domino
 Populus beatus.